

Capiti noluit se subicere. Ita Alenf. 3. part. quæst. 2. memb. ultimo. Viguerus de Institut. Theolog. cap. 3. §. 2. vers. 15. Cathier. opusc. de Gloria Angel. Suárez lib. 7. cap. 13. Grados tract. 13. disp. 2. sect. 4. Martinon disp. 44. num. 8. eamque probabilem iudicant Molina 2. & Becanus. ¶ Alij tenent, superbiam demonis fuisse inordinatum affectum supra alios Angelos, seu tyrannicam potestatem supra alias creaturas inferiores. Ita Molina art. 3. huius quæst. Becan. 1. part. tract. 13. cap. 4. quæst. 8. & alij. ¶ Alij defendunt, morivum suæ superbiz fuisse inordinatum appetitum suæ beatitudinis naturalis. In hac videtur magis propendere D. Thomas in præf. quæst. 63. art. 3. eamque amplectuntur Thomista, & cum eis N. Salin. in hoc tract. disp. 10. dub. 5. ¶ Alij denique iudicant, superbiz esse beatitudinem supernaturalem. Ita Altitod. Alenf. Albert. & alij, quam probabilem reputat D. Thomas, & cum eo eius discipuli. Et quia valde familiare est Theologis prius refutare falsa, quam stabilire vera, nos hanc methodum sequentes prius refellemus opinionem aliorum, & postea declarabimus propriam mentem. Quæ omnia in hoc dubio absolvemus plurius assertionibus, ut ad debitum ordinem redigantur.

#### Prima assertio.

83 **D**icendum est primò, obiectum, in cuius appetitione Angelus primò superbiit, nec fuisse, nec potuisse esse omnimodam æqualitatem cum Deo. Hæc conclusio procedit contra Authores primæ sententiæ, & habetur expressè in D. Thomæ loco supra relato, ubi ait: *Dicendum, quòd Angelus absque omni dubio peccavit appetendo esse ut Deus. Sed hoc potest intelligi dupliciter. Uno modo per æquiparantiam: alio modo per similitudinem. Primo quidem modo non potuit appetere esse ut Deus. Idem tradit 3. contra Gent. cap. 109. & in 2. dist. 5. & ibidem ad Ant. quæst. 1. art. 2. alijsque in locis.*

Id ipsum expressè docent D. Anselm. lib. de Casu diaboli cap. 4. ubi inquit: *Si Deus cogitari non potest nisi tam solus, ut nihil illi simile cogitari possit, quomodo potuit diabolus velle, quòd non potuit cogitare? Non enim ita obtusa mentis erat, ut nihil aliud simile Deo cogitari posse nesciret.* ¶ Nec prodest recursum Vazquij alterentis, D. Anselmum locutum fuisse non in persona propria, sed in persona discipuli. Non (inquam) prodest: Nam eo ipso quòd huiusmodi sententiam non refutaverit, sed potius alium modum superbiendi assignaverit, satis indicat rationem illam discipuli ab ipso Anselmo approbatam fuisse.

84 Deinde probatur ratione D. Thomæ ex prædictis locis desumpta: Angelus non potest appetere sibi efficaciter absolute id, quod cognoscit esse simpliciter impossibile; sed Angelus evidenter cognoscit omnimodam æqualitatem cum Deo in seipso esse sibi simpliciter impossibile: ergo Angelus nec superbiit, nec superbiere potuit circa omnimodam æqualitatem cum Deo. Minor est omnino certa. Et maior, in qua tantam potest esse difficultatem, probatur: Nam nulla potentia potest extrahi extra suum obiectum adæquatum; sed obiectum adæquatum voluntatis est bonum; ergo nequit tendere in id, quod non est bonum. Iam sic; sed obiectum simpliciter impossibile cognitum ut tale non est bonum: ergo Angelus non potest appetere sibi efficaciter & absolute id, quod cognoscit esse simpliciter impossibile. Minor (subsumpta) probatur: nam impossibile ut impossibile non est ens: ergo nec est bonum.

85 Responder primò Vazquez, ad amorem obiecti non requiri iudicium de eius possibilitate, seu de eius reali bonitate, sed sufficere apprehensionem. Angelus autem simplici apprehensione potest representare obiectum impossibile sub ratione possibiliis, & excitari ad appetitum efficacem illius.

Hæc evasio (præterquamquòd deseruit communiter à Scotistis, ut videtur apud Mairium in hoc tract. disp. 3. quæst. 3. per totam) rellitit multipliciter. **Primò:** Quia ad movendam voluntatem efficaciter non sufficit simplex apprehensio, sed vitieris requiritur iudicium practicum: imò & imperium saltem virtuale: ergo si Angelus nequit sine ingenti errore (qui ante primum peccatum non habet locum in Angelo) habere iudicium de possibilitate omnimodæ æqualitatis cum Deo, nequit eam appetere appetitu absolute & efficaci. Antecedens probatur: nam voluntas efficaciter conari in rem, ut sit; sed nemo potest efficaciter conari in rem, ut sit, nisi iudicet de eius possibilitate: ergo. ¶ **Secundò:** Quia ad appetitum efficacem voluntatis requiritur, quòd obiectum proponatur non solum ut possibile, sed etiam ut conveniens, ad quod omnino desideratur collatio obiecti cum volenti, & volentis cum obiecto; sed hæc stare non potest absque iudicio intellectus, quia simplex apprehensio, & voluntas non sunt collative, quicquid de hac dicant Scotistæ: ergo. ¶ Confirmatur hoc: Nam in hoc distinguitur ælimativa in brutis ab intellectu, quòd cum ælimativa ex imperfectione suæ cognitionis non ponderet rationes, quibus obiectum redditur conveniens, aut disconveniens, solum ex instinctu nature proponit appetitui sub ratione convenientis, aut disconvenientis, ac pròinde per simplicem apprehensionem. E contra verò intellectus ex nobilitate suæ cognitionis percipit rationes, qui-

bus obiectum redditur conveniens, aut disconveniens: ergo requiritur collatio obiecti cum volente, & conversò: ergo si hæc solum invenitur in iudicio intellectus, planè sequitur non sufficere simplicem apprehensionem ad movendam efficaciter voluntatem. *Maximè:* quia estò demus, voluntatem in modis subitis & indeliberatis posse moveri per simplicem apprehensionem (quod negat Caiet. 1. 2. quæst. 77. art. 2. & meritò, quia voluntas, cum sit appetitus altior sensitivo, petit etiam altiore modum motionis) hoc tamen non habet locum in actibus deliberatis: nec præsertim materia potest adaptari, in qua agitur de primo peccato Angelorum.

**Tertiò:** Nam dato, & non concesso, non requiritur iudicium de possibilitate obiecti ad movendum appetitum efficacem illius, requiritur tamen, quòd non præcedat iudicium de impossibilitate illius: voluntas enim nequit efficaciter ferri in impossibile reduplicativè ut tale; sed Angelus habuit iudicium perfectum, quo cognoscebat impossibilitatem omnimodæ æqualitatis sui cum Deo: siquidem in primo, & secundo instanti habebat comprehensionem necessariam sui: ergo non potuit apprehendere possibilitatem omnimodæ æqualitatis cum Deo.

86 Respondent secundò Scotistæ, quòd licet Angelus non possit appetitu absolute & efficaci appetere impossibile cognitum ut tale absolute, potest illud appetere: appetitu inefficaci apposta conditione, videlicet, si hoc esset possibile, & hoc modo potuit appetere omnimodam æqualitatem cum Deo. Ad quem modum dicendi nonnulli Authores tam ex domesticis, quam ex extraneis trahere conantur D. Thomam, facileque eum conciliant cum Scoto.

Contra est Nam repugnat, obiectum essentialiter impossibile cognitum ut tale terminare appetitum absolutum ex parte actus, & conditionatum præcisè ex parte obiecti: ergo Angelus nequit appetere æqualitatem omnimodam cum Deo adhuc sub conditione, quòd esset possibile. Antecedens probatur: nam implicat id, quòd nunc non est bonum, nec conveniens, nec apprehenditur ut tale, nunc movere voluntatem ad affectum absolutum; sed obiectum essentialiter impossibile cognitum ut tale, adhuc apposta conditione, quòd esset possibile, nunc non est bonum, neque conveniens (quamvis esset, si purificaretur conditio) neque apprehenditur ut tale: ergo implicat terminare appetitum absolutum ex parte actus. Maior est certa: nam nulla potentia potest exercere actum absolutum adhuc inefficacem erga obiectum, quòd actu non habet in se, neque in apprehensione rationem sui obiecti specificativi: vnde cum obiectum voluntatis sit bonum ut conveniens, hinc est, quòd voluntas nequit tendere

actu absolute etiam inefficaci in obiectum, quòd nunc non est bonum, nec conveniens. Minor etiam liquet: nam obiecta essentialiter impossibilia, adhuc in suppositione quòd esset possibile, nunc non est possibile, sed impossibile: ergo si cognoscitur ut tale, nunc non est bonum & conveniens, neque in se, nec apprehensione.

Confirmatur, & explicatur simul dictum inter futurum conditionatum, & possibile (si ita loqui licet) conditionatum: Nam estò detur aliquod futurum dependens ab aliqua conditione, repugnat tamen possibile præcisè conditionatum: ergo apposta illa conditio. *si obiectum est possibile, non conducit ad veram aliquam possibilitatem & convenientiam de præsertim.* Antecedens probatur: nam omnis futuritio, & possibilitas consistit in preparatione causæ nunc existentis, ut late diximus in tract. 3. & 4. sed nunc de actu datur causa futuritionis conditionatæ, secus verò possibilitatis conditionatæ: ergo repugnat possibile præcisè conditionatum, quamvis sint plura futura purè conditionata. Minor probatur: nam vel conditio apposta est possibilis, vel impossibilis: Si dicatur prium: ergo defectò de de præsertim datur causa illius, pròindeque obiectum illud conditionatum est absolute possibile, & non tantum conditionatè. Si dicatur secundum: ergo non supponit aliquam causam sui: ergo nec est possibile conditionatum, sed impossibile. Mens D. Thomæ appetit conditavit ex solutione argumentorum.

87 **P**robatur secundò ratione: Angelus non potest appetere appetitu prosecutionis suam non esse: ergo nec potuit primò peccare appetendo per modum prosecutionis omnimodam æqualitatem cum Deo. Consequentia est certa: nam omnimoda æqualitas cum Deo est inconiungibilis cum proprio esse Angeli, sicut esse simul ens per essentiam, & per participationem: ergo vel non potuit primò peccare appetendo omnimodam æqualitatem cum Deo, vel appeteret suam non esse. Antecedens verò probatur: tum, quia appetere aliquid sibi per modum prosecutionis nihil aliud est, quam velle illud bonum sibi coniungi; sed hic affectus necessariò involvit affectum conservandi proprium esse, alias illud bonum non veller sibi, sed alteri: ergo non potuit Angelus appetere appetitu prosecutionis suam non esse. Tum etiam: quia vniuersisque est necessitatus saltem quoad specificationem ad appetendam suam beatitudinem in communi: ergo nequit appetere oppositum eius; sed appetitus beatitudinis necessariò includit appetitum conservandi suum



suam esse: nullus enim potest esse beatus, nisi sit: ergo. Quam rationem adducit D. Thomas in præf. art. 3. & 3. Contra gent. cap. 109. Respondent primò Adversarij, quòd potest quis in obiectis impossibilibus appetere solam convenientiam boni imaginari, nihil cogitando de destructione sui esse: sicut homo potest cogitare, & simplici affectu desiderare esse avern, vel Angelum, ut sit velocissimus in motu, nihil cogitando de sui destructione.

Sed contra est primò: Nam repugnat quòd quis habeat plenam noticiam & iudicium perfectum sui esse appetat aliquid impossibile cum suo esse, & quod non appetat destructionem sui proprii esse, ut supponit præfata solutio; sed Angelus est necessarius quoad exercitium ad habendam plenam noticiam & iudicium perfectum de suo esse, & quod est absolute inconiungibile cum equalitate cum Deo: siquidem est necessarius quoad exercitium ad sui comprehensionem: ergo nequit appetere omnimodam equalitatem cum Deo. Diximus quòd quis habens iudicium perfectum, propter eos qui simplici apprehensione aut iudicio subito & indeliberato ducti appetunt aliquid impossibile inconiungibile cum suo esse propter aliquam convenientiam apprehensam, ut in exemplo supra adducto liquet, quod impræsentiarum non habet locum.

Secundò: Nam nequit voluntas simplici affectu appetere rem ut sibi convenientem, nisi præcedat cognitio comparativa de bonitate eiusdem in ordine ad ipsum appetentem: ergo nec Angelus potest appetere omnimodam equalitatem cum Deo, nisi præcedat cognitio comparativa de bonitate eiusdem in ordine ad ipsum Angelum; sed hæc cognitio comparativa nequit stare, quin cognoscat hæc equalitatem esse impossibilem cum proprio esse, ac proinde nequit appetere illam, quin appetat destructionem sui, vel quin præcedat error in intellectu, quod non concedit Scotus: ergo nequit Angelus appetere omnimodam equalitatem cum Deo, nisi appetat simul destructionem sui. Minor probatur: nam talis obiecti representatio comparativa nequit fieri per simplicem apprehensionem, quia hæc non est comparativa, vel si est comparativa, est capax veritatis & falsitatis: ergo vel præcederet error, vel cognosceret omnimodam equalitatem cum Deo esse impossibilem cum suo esse.

89 Respondent secundò, quòd licet Angelus appetendo efficaciter & absolute omnimodam equalitatem cum Deo simul appeteret destructionem sui, secus verò appetendo illam per affectum inefficacem & conditionatum, ut si Angelus diceret: *Vellem habere equalitatem cum Deo, si conferendo meum esse illam simul habere possem.* Quia conditio apposita ex ipsa parte suspendit destructionem proprii esse,

& ex alia obiectum sic apprehensum & iudicatum sufficit ad terminandum affectum inefficacem & conditionatum, qui sit talis ex parte obiecti, & absolutus ex parte actus.

Sed contra est: nam imprimis hæc casus continet conditionalem, quæ non est doctrinalis, nec admittitur in Scholis: ergo multò minus ab Angelo fingi potest in ordine ad movendum suam affectum, Consequentia est legitima, propter nobilitatem intellectus Angelis. Antecedens probatur: nam conditionalis, in qua ponitur expresse oppositum eius, quod prius supponitur, non est doctrinalis, nec in Scholis communiter admittitur: propterea hæc conditionalis, si Spiritus sanctus non procederet a Patre, non distinguetur realiter ab eo, est doctrinalis, & admittitur in Scholis, quia non tollit per locum intrinsecum expresse & formaliter, Spiritum sanctum procedere per voluntatem; sed in conditionali nunc adducta ponitur expresse & formaliter oppositum eius, quod prius supponitur: siquidem supponitur omnimodam equalitatem cum Deo esse Angelo impossibilem: ergo.

Deinde: nam dum aliquid impossibile absolute & simpliciter tale representatur, sub conditione quod est possibile, representatur impossibilem ut contra factum, & possibilem: ergo nequit movere appetitum ad aliquem affectum. Antecedens est certum: siquidem representatur sub conditione, quod est impossibile, est possibilem, Consequentia verò probatur: nam obiectum, quod æquè representatur ut possibile & ut impossibile, non proponitur magis ut bonum, quam ut non bonum: ergo nequit movere voluntatem. Rursus: Nam qui appetit adhuc appetitu inefficaci aliquid impossibile per se & ab intrinseco tale, & cognitum ut tale, appetit eodem actu saltem virtualiter destructionem eius, cum quo est impossibile, ideoque Deus volens inefficaciter saltem damnatorum, quam videt esse impossibilem cum eorum damnatione, etiam inefficaciter vult non esse eorum damnationis: ergo, si Angelus cognosceret suam esse esse absolute impossibilem cum omnimoda equalitate cum Deo, & appeteret inefficaciter hæc equalitatem, virtualiter saltem appeteret sui destructionem; sed hoc nequit stare cum necessitate quoad specificationem & exercitium, quam habet Angelus ad diligendum proprium esse: ergo.

Item: Nam affectus huiusmodi conditionatus circa aliquid purè impossibile cognitum ut tale, sub conditione quod est possibile, non est affectus defectu existens, sed esset, si poneretur conditio, ac proinde non significaretur per verbum *Volo*; sed per verbum *Vellem*: siquidem representatur æquè impossibile, ac possibile, ut supra probatum est: ergo illa conditio: *apposita, si esset possibile*, non deser-

vit

9. III.

Alia triplex assertio.

vit ad terminandum affectum nunc existentem.

90 Respondent tertio, quòd Angelus appetens omnimodam equalitatem cum Deo, tantum appetivisset suam non esse implicite & indirectè, secus verò explicite & directè. Sed in hoc nullum est inconveniens; & ita quilibet peccans mortaliter vult aliquid, in quo non vult subesse Deo, & in hoc ex consequenti vult implicite & indirectè suam non esse: quia hoc non potest subsistere, nisi subit Deo, ita Scotus. Et addit, quòd licet id quod est per se impossibile, & cognitum ut tale non possit appeti per se, potuit tamen appeti per accidens, in quantum apprehenditur ut conduens ad alium finem commodum: Angelus ergo potuit appetere omnimodam equalitatem cum Deo, & in hac suam non esse propter hunc finem, videlicet, ut nulli subjiceretur.

Contra: Nam Angelus cognoscit se perfectè & comprehensivè & ergo, appetens omnimodam equalitatem cum Deo, non solum appeteret suam non esse indirectè & implicite, sed etiam explicite & directè. Patet consequentia: nam non stat, quòd, cognita expresse & formaliter impossibilitate omnimodæ equalitatis cum Deo cum proprio esse, appetatur expresse equalitas cum Deo, & non appetatur expresse destructio proprii esse. Exemplum peccatoris non est ad rem: quia peccator, dum peccat mortaliter, nõ vult aliquid, quod physice non sit Deo subiectum, sed tantum moraliter; & tantum vult interpretativè Deum non esse, & ex consequenti destructionem sui, in quo nullum est inconveniens.

Additamentum Scoti facile dispellit. Nam quamvis possit quis appetere suam non esse appetitu remotionis; repugnat tamen, quòd quis appetat suam non esse appetitu prosecutionis: sed si Angelus appeteret omnimodam equalitatem cum Deo, illam appeteret appetitu prosecutionis, & non remotionis: ergo nequit appetere destructionem proprii esse. Consequentia est legitima. Minor est certa: quia appetitus remotionis solum appetit quis, aut appetere potest suam non esse ad evadendam miseriam; qui appetitus non habet locum in primo peccato Angeli, quia in eo nulla supponitur miseria. Maior verò solum eget explanatione: Nam dum quis appetitu remotionis appetit suam non esse, vult seipso tanquam termino à quo; in appetitu verò prosecutionis ipse appetens habet rationem termini ad quem cum bono concupito: ergo non potest quis appetitu prosecutionis appetere suam non esse. Videatur D.

Thomas quest. 16. de Verit.

art. 3. ad 5.

\*\*\*  
\*\*\*  
\*\*\*  
\*\*\*

91 Dicendum est secundò, dato, & non concessio, quòd Angelus possit appetere omnimodam equalitatem cum Deo appetitu inefficaci & conditionato, primum eius peccatum, nec fuisse, nec potuisse iuxta communem & regularem cursum consistere in eo. Hæc assertio est communis inter Thomistas. Et quoad primam partem satis colligitur ex illo Haic 14. *In caelum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum etc.* quæ verba significant voluntatem efficacem & absolutam, & non solum affectum simplicem & conditionatum. Et evidenter deducitur ex D. Anselmo, qui lib. de Casu diaboli cap. 4. ait: *Appetite illud, ad quod pervenisset, si stetit.*

Quoad secundam verò partem suadetur: Nam primum peccatum Angelis necessario debuit esse appetitus inordinatus alicuius ultimi finis; sed appetitus ultimi finis in quantum huiusmodi nequit esse inefficax & conditionatus: ergo primum peccatum Angelis non potuit consistere in affectu inefficaci & conditionato. Maior ex infra dicendis constabit. Et minor probatur: nam appetitus ultimi finis ut talis est dilectio illius super omnia; sed dilectio alicuius rei super omnia nequit esse inefficax & conditionata, cum inferat electionem mediourum, & moveat efficaciter ad consecutionem illius: ergo.

92 Dicendum est tertio, obiectum excellens, circa quod Angelus primo deliquit, non fuisse unionem hypostaticam. Hæc conclusio, quam defendant communiter Theologi contra Authores relato num. 82. pro secunda sententia, tria supponit. Supponit imprimis, mysterium Incarnationis saltem quoad substantiam fuisse Angelis revelatum, dum erant in via. Ita deducitur ex Magno Parente Augustino relato à D. Thoma 2. 2. quest. 2. art. 7. ad 1. Et ratio verosimilis est: quia membris intellectualibus debita est noticia proprii Capitis, ut ei debita subiectionem exhibeant; sed Christus est caput non solum hominum, sed etiam Angelorum: ergo mysterium Incarnationis saltem quoad substantiam fuit illis revelatum, dum erant in via. ¶ Neque ex hoc inferas, fuisse eis revelatum suum peccatum: Nam cum Incarnatio esset finis cuius gratia, & primum peccatum demonis fuerit occasio remota adventus Christi, potuit Deus revelare Incarnationem, quin ex hoc teneretur revelare eis suum peccatum, ne autem suum peccatum aliquam ex illa tristitiam conciperent.

Deinde supponit, Deum imposuisse omnibus Angelis in via existentibus præceptum, ut

Christe



Christum adorarent, & eum tanquam proprium Caput recognoscerent. Hoc satis deducitur ex illo Apost. ad Hebraeos 1. *Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terrae, dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei.* Nec deest ratio congruentiae quia, supposita revelatione huius mysterij, debita erat Angelis impositio precepti, quo Angeli tenerentur se subicere Christo tanquam Capiti eorum. Quinimò est valde probabile, præter præceptum hoc positivum habuisse præceptum naturale adorandi Christum Dominum.

Tandem supponit, demones superbijse circa vniionem hypostaticam. Ita colligitur ex SS. PP. maxime ex D. August. lib. 11. de Gen. ad litteram cap. 14. D. Bernardo serm. 1. de Adventu, & 17. in Cant. Ruperto lib. 8. in Ioann. His tamen positis, adhuc asserimus primum diaboli peccatum non fuisse circa vniionem hypostaticam.

93 Et probatur primò ratione: Nam primum obiectum excellens, circa quod Angelus primò superbij, debuit esse vltimus finis ab eo adipiscendus; sed vniò hypostatica non est finis vltimus Angeli, ab eo acquirendus aut possidendus: ergo primum obiectum, circa quod primò superbij, non fuit vniò hypostatica. Maior deducitur ex D. Thoma 2. 2. quæst. 163. art. 1. vbi ait: *Prius movetur appetitus in finem, quam in id, quod queritur propter finem.* Minor verò probatur: nam vniò hypostatica nec est finis naturalis Angeli, vt supponitur; nec est supernaturalis, ad quem elevatus fuerit, vt patet: siquidem ad claram visionem Dei à seipso habendam elevatus est: ergo vniò hypostatica non fuit vltimus finis Angeli, ab eo acquirendus & adipiscendus. Et quamvis vniò hypostatica sit finis cuius gratia omnium rerum, quæ à Deo factæ præcavetur tacita obiectio est tamen finis extrinsecus, propter cuius maiorem exaltationem omnes res sunt ordinate. At finis iste non est, qui primò movet Angelum, dum tenetur primò de seipso deliberare, sed finis vltimus intrinsecus, ad cuius consecutionem ordinate est.

94 Probatur secundò ratione: Nam si obiectum primum excellens superbijæ demonis fuisse vniò hypostatica, vel esset, quia appetijt eam vt sibi debitam, & natura sua viribus acquirendam; vel quia eam homini invidit; vel quia Christo tanquam proprio Capiti noluit subijci; sed nullo ex his tribus modis potuit primò delinquere: ergo primum obiectum suæ superbijæ non fuit vniò hypostatica. Maior continet omnes modos, quibus peccare poterat erga vniionem hypostaticam, & fortè omnibus his deficiò deliquit. Minor quoad singulas partes probatur. Et imprimis, quòd non primò peccaverit appetendo vniionem hypostaticam vt suæ naturæ debitam, ac proprijs viribus acquiren-

dam, satis constat ex ratione præcedenti. Maxime, quia nequit illam hoc modo appetere, nisi præcedat error in suo intellectu; sed hic non potest præcedere ante primum eius peccatum, vt ostendimus dub. sequenti: ergo.

Deinde quòd non primò peccaverit, invadendo homini vniionem hypostaticam, suaderitur tum ex D. August. loco proxime relato, vbi ait: *Invidia sequitur superbiam, non precedit.* Tum ex D. Thoma loco relato supra num. 67.

Tum denique ratione ibidem adducta: nam invidia est actus fugæ, seu odium boni alterius; sed nolitio, aut odium boni alterius oritur tanquam ex radice ex amore inordinato propriæ excellentiæ: ergo obiectum primum, circa quod Angelus primò deliquit, non fuit per hoc, quòd invidit homini vniionem hypostaticam.

Tandem quòd non peccaverit primò ex eo, quòd noluit subijci Christo, probatur ratione proxime tacta: Nam hoc, quòd est non velle subijci Christo, est nolitio seu fuga illius, & habet rationem mali: ergo primum demonis peccatum non potuit consistere in hoc, quòd noluit subijci Christo. Antecedens est certum. Et consequentia probatur: nam omnis nolitio seu fuga mali supponit volitionem & prosecutionem alicuius boni: *Quia enim bonum queritur* (inquit D. Thomas 1. 2. quæst. 25. art. 2.) *ideo refutatur oppositum malum*: ergo primum peccatum demonis non potuit consistere in hoc, quòd noluit subijci Christo, sed in appetitu alicuius obiecti excellentis.

95 Dicendum est quartò, primum obiectum, circa quod Angelus superbij, non fuisse tyrannicam potestatem seu principatum super alias creaturas intellectuales. Hæc conclusio, quæ procedit contra Authores tertie sententiæ, duo supponit. Supponit primò, quòd Angelus non appetijt alios excedere in natura: quia hoc erat impossibile, vel necessarium. Supponit secundò: Angelum peccasse desiderando, quòd alij Angeli interiores sibi obtemperarent in omnibus contra Dei voluntatem: vel appetendo, quòd omnia dona, quæ Deus ceteris creaturis inferioribus distribuit, mediante illo distribuatur, tanquam quid ei ratione sua naturæ debitum. Hoc satis colligitur ex illo Isaie: *Super astra Dei exaltabo solum meum*: Et ex pluribus testimonijs SS. PP. His tamen positis, defendimus cum omni consensu Theologorum, hanc tyrannicam potestatem non fuisse obiectum primum, circa quod Angelus superbij. Ita D. Thomas in præf. & 3. Contra gent. cap. 109.

Et suadetur eius ratione: Nam amor seu appetitus potestatis in alios præsupponit amorem inordinatum sui vt absolute amabilis: ergo obiectum primum, circa quod Angelus superbij, non fuit tyrannica prelatio super alios. Antecedens probatur: nam prius est bonum sui

vt

vt absolute amabile, quam vt respectivè amabile in ordine ad alios: ergo appetitus potestatis in alios præsupponit amorem inordinatum sui vt absolute amabilis. Quocirca D. Thomas in præf. ait: *Quia verò quòd est per se, est principium & causa eius, quòd est per aliud: ex hoc etiam consecutum est, quòd appetijt aliquem principatum super alia habere. In quo etiam perverse voluit Deo assimilari.*

96 Probatur aia ratione: Nam primum peccatum Angeli non potuit consistere in appetitu alicuius obiecti de se mali & inhonesti; sed potestas illa tyrannica est obiectum de se malum & inhonestum: ergo. Consequentia est legitima. Et minor est certa: quia illa potestas non est Angelo naturaliter debita, sed contra ius usurpata; quod non potest non esse ex se malum & inhonestum. Maior autem probatur: nam ad volitionem alicuius obiecti ex se mali & inhonesti debet præcedere aliquis error in intellectu, quo obiectum illud iudicetur bonum & conveniens; sed ante primum peccatum Angeli non potuit præcedere error in eius intellectu: ergo.

97 Probatur tertio ratione: Nam appetitus tyrannicæ potestatis pertinet ad ambitionem; sed ambitio non potuit esse primum peccatum demonis: ergo neque obiectum primum sui peccati fuit tyrannica potestas super alias creaturas. Maior est expressa D. Thoma 2. 2. quæst. 131. art. 1. Et minor probatur: nam ambitio (sicut præsumptio, quæ dicit immoderatam excellentiam in actionibus & ministerijs) supponit superbiam proprie dictam, ideoque dicitur filia eius, vt docet Div. Thomas ibidem: ergo non potuit esse primum peccatum Angeli.

Et confirmatur: Nam appetitus propriæ excellentiæ secundum se sumptus est appetitus boni simpliciter & absolute talis, appetitus verò propriæ excellentiæ relatè ad alios est appetitus alicuius boni secundum quid, quia est appetitus boni cum addito, nempe, in honoribus & dignitatibus: ergo appetitus propriæ excellentiæ secundum se præcedit appetitum illius relatè ad alios: sicut esse simpliciter præcedit esse secundum quid: ergo primum obiectum, quo Angelus superbij, non fuit tyrannica potestas super alios. Quare si Scriptura, & Patres asserant, Angelum peccasse appetendo hanc tyrannicam potestatem, non debent intelligi de primo illius peccato, sed de peccato primam voluntatis eius deordinationem consequente. Per quod constat ad principale motivum sententiæ contrarie.

Hucusque refutavimus opiniones falsas: superest, vt assignemus obiectum primum, circa quod demon superbij in primo suo peccato. Pro quo fit.

\*.\*

Paul. Theolog. Salm. Tom. II.

LI

ter

IV. *Affertio quinta.*

98 Dicendum est quinto, obiectum primum, circa quod Angelus deliquit, fuisse suam beatitudinem naturalem, quatenus non ordinavit eam, vt tenebatur, in beatitudinem supernaturalem. Hæc sententia defenditur communiter à Thomistis. Probatur primò ex illo Ezechiel. 28. *In similitudine sapientiæ tuæ elevatum est cor tuum in robore tuo.* Et infra: *Elevatum est cor tuum in decore tuo: perdidisti sapientiam tuam in decore tuo.* Vbi iuxta sententiam SS. PP. sermo est de primò peccato Angeli; sed ibi declaratur, quòd superbijæ de cumulo perfectionum naturalium, quas tunc habebat, quæ naturalem eius perfectionem constituunt: ergo obiectum primum, circa quod Angelus superbij, fuit beatitudo naturalis, quatenus illam inordinato modo concupivit, nempe, præta regulâ & mensurâ à Deo præfixâ, qua præcepit, vt ordinatam in vltimam finem supernaturalem. ¶ Et confirmatur primò ex SS. PP. qui aiunt, Angelum peccasse, quia sibi placuit in ea dignitate, quam à Deo acceperat: vel quia ipse sibi ad beatam vitam sufficere voluit. Videatur D. August. 122. de Civitate Dei cap. 1. Ambrosi. in Psalm. 118. Greg. lib. 14. Moral. cap. 14. Div. Bernard. serm. 3. de Verbis Isaie, vbi Dominum sedentem, & Leo Pap. epist. 92. Quorum testimonia recolere quis poterit in N. Salmant. in præf. num. 107.

Confirmatur secundò ex D. Thoma 2. Contra gent. cap. 109. vbi ait: *Potuit igitur in voluntate substantiæ separata esse peccatum, ex hoc, quòd proprium bonum & perfectionem in vltimum finem non ordinavit, sed inbasit proprio bono vt finem: Unde convenienter dicitur, quòd primum peccatum demonis fuit superbiam.* Idem tradit alijs in locis.

99 Et probatur primò ratione: Nam illud est primum obiectum, circa quod Angelus superbij, quòd est valde excellens, ipsi Angelo debitum, & inordinatè ab ipso appetitum; sed beatitudo naturalis est huiusmodi: ergo obiectum primum, circa quod Angelus primò peccavit, fuit beatitudo eius naturalis. Maior patet: quia eum superbiam consistit in appetitu inordinato propriæ excellentiæ, nullum obiectum aptius potest excogitari superbijæ Angelorum, quam id, in quo inveniuntur præfixæ tres condiciones, ita id exigente natura eorum nobilissima, & propria malitia superbijæ. Minor verò quoad primam partem suadetur: nam beatitudo naturalis Angeli est aggregatum omnium suarum perfectionum naturalium: siquidem includit omnes eius dotes naturales, vel antecedentes



ter, vel formaliter, vel consequenter, in quibus relucet maxima excellentia inter omnes res naturales à Deo creatas. Quoad secundam etiam suadet: quia in hoc distinguitur beatitudo naturalis à supernaturali, quod illa est Angelo debita, illa verò indebita. Quoad tertiam etiam probatur: nam si amor beatitudinis naturalis in Angelo non fuisset inordinatus, in eo esset ordo præfixus à Deo, id est, ordo actualis ad Deum ultimum finem supernaturalem: ergo Angelus non peccasset, sed potius placuisset Deo.

100. Pro eius maiori luce, & ut omnes eius evasiones & obiectiones præcaveantur, observa primò, quod in secundo instanti Angelus tenebatur se convertere in Deum ultimum finem supernaturalem: quia, supposita cognitione Dei auctoris supernaturalis (vbi fuit in Angelo à primo instanti suæ creatione) omnes obligat præceptum se convertendi in Deum finem supernaturalem in primo instanti suæ plenæ deliberationis, quod in Angelis fuit secundum. ¶ Oserva secundò, quod Deus præcipiens prædictam ordinationem seu conversionem, quæ est actus formalis charitatis, non solum præcipit ipsam charitatem, sed etiam præfigit eodem præcepto mensuram, quæ servanda est in dilectione propriæ excellentiæ; quoniam hoc tamen discrimine, quod illa ordinatio seu conversio in Deum finem supernaturalem, prout est actus charitatis, est obiectum formale expressum & directum præcepti: ac prout est mensura, quæ servanda est in appetitu propriæ excellentiæ, est obiectum materiale indirectum & implicitum eiusdem præcepti: ratio verò, cur præceptum charitatis non solum præcipiat charitatem ipsam secundum se, sed etiam indirecte saltem intimet eam per modum mensuræ servandæ in dilectione propriæ excellentiæ, est: quia iuxta Scripturam, & communem consensum Patrum primum peccatum Angeli fuit peccatum superbiæ, quæ est appetitus inordinatus propriæ excellentiæ; & hoc peccatum habet facile potest aliter explanari, imò nec inordinatio ipsa in dilectione propriæ excellentiæ.

Observe tertio, quod supposita illa mensura præfixa à charitate, & servanda in dilectione propriæ excellentiæ, statim adest aliud præceptum negativum dimanans à virtute humilitatis obligans pro semper, ne diligat propria excellentia sine prædicta mensura; quod quidem præceptum solum obligat, dum obligat præceptum charitatis. Ex quo duo colligi valent: Primum est, quod in instanti, quo obligat utraque præceptum, non solum delinquit contra præceptum positivum charitatis peccato omissionis, sed etiam contra præceptum negativum humilitatis peccato commissionis. Secundum, quod cum præceptum humilitatis fundetur in altero præcepto charitatis, quo præfigitur mensura servanda in dilectione propriæ excellentiæ; &

præceptum charitatis non obliget pro semper, sed præcisè pro secundo instanti, dilectio propriæ excellentiæ sine ordinatione charitatis non erit pro alijs instantibus inordinata, quia in illis non adest obligatio adhibendi talem menturam; & ita adsumum erit peccaminosa, quando expressè & formaliter diligeretur propria excellentia ordinis naturalis per modum ultimi finis, supposita elevatione ad finem supernaturalem.

101. Hinc deducitur evidens ratio, cur primum peccatum Angeli non debeat esse peccatum omissionis, estò præceptum primum vrgens in illo instanti sit charitatis, & vere sit peccatum superbiæ: quia primus actus inordinatus Angeli fuit dilectio suæ beatitudinis naturalis aut propriæ excellentiæ, abiecta ordinatione in finem supernaturalem; omisio verò charitatis secundum se ortum duxit velut ex causa à dilectione illa inordinata propriæ excellentiæ. Unde quamvis Angelus in primo suo peccato delinqueret peccato omissionis; prius tamen peccavit per peccatum commissionis, inordinate amando propriam excellentiam, quod est peccatum superbiæ. Ex his ergo manent convulsi omnes evasiones & obiectiones, quæ contra prædictam rationem poterant efformari, quin sit necesse eas sigillatim proponere, & diluere.

102. Probat secundò ratione: Nam obiectum primum excellens, erga quod diaboli primò deliquit, habuit esse aliquis finis ultimus ipsius; sed non fuit ultimus finis supernaturalis: ergo fuit ultimus finis naturalis, qui est beatitudo naturalis ipsius. Maior probatur (deinde probanda est minor) Tum, quia primum, quod Angelo se offert, est suus finis in particulari: ergo primum obiectum circa quod primò deliquit, fuit ultimus finis in particulari. Patet consequentiam à D. Thom. 1.2. quæst. 89. art. 6. & 22. quæst. 187. art. 1. hac ratione ductus, suadet primum hominis peccatum fuisse circa ultimum finem, & non circa media. Tum etiam: nam ita se habet finis in particulari, sicut se habent principia in speculabilibus; sed intellectus prius versatur circa principia, quam circa conclusiones: ergo etiam voluntas prius versatur circa finem, quam circa media. Tum deinde: quia si voluntas non delinqueret primò circa finem ultimum in particulari, neque posset delinquere circa media: siquidem voluntas, efficienter relictiva circa finem ultimum in particulari, nequit non recte versari circa media. Tum denique: nam cognoscens ultimum finem in particulari primò vrget præceptum circa illum, quam circa media in primo instanti plenè deliberationis; quod in Angelis est secundum: ergo vel præfigitur finis ultimus debitus, vel non? Si non: ergo primò delinquitur circa finem, quam circa media. Si præfigitur finis ultimus debitus: ergo neque delinquitur circa media, propter proximè dicta.

Dein-

Deinde probatur minor: nam superbi magis afficiuntur ad propria bona & ipsi conaturalia, quam ad alia bona: & hac ratione 2. Petri cap. 2. Superbi vocatur sibi placentes; sed beatitudo naturalis est Angelo conaturalis & sibi debita, fecus verò supernaturalis: ergo deliquit primò circa beatitudinem naturalem, & non circa beatitudinem supernaturalem.

103. Sed obieciens: Beatitudo supernaturalis est finis absolute ultimus, beatitudo verò naturalis non est finis absolute ultimus, sed tantum secundum quod: ergo non illa, sed illa est primum obiectum superbiæ Angelorum. ¶ Respondetur, quod licet, supposita elevatione Angeli in finem supernaturalem, ille sit absolute & simpliciter ultimus; beatitudo tamen naturalis non ordinatur per se, sed per accidens in prædictum finem. Unde ex hac parte non est, cur beatitudo naturalis non sit primum obiectum suæ superbiæ. Beatitudo autem naturalis non potuit esse primum obiectum, circa quod Angelus primò superbiat, nisi quia appetijt illam sine debita censura supernaturali; sed non propterea mensura hæc supernaturalis fuit primum obiectum sui peccati, quia contemptus huius mensurationis fuit obiectum expressum & directum sui primi peccati, de quo est sermo in præfati.

104. Sed replicabis: Nam qui sunt valde superbi, potius afficiuntur ad bona omnium excellentissima, quia inde maiorem occasionem habent ad magis tumescendum; sed beatitudo supernaturalis est huiusmodi: ergo.

Respondetur, quod superbi magis afficiuntur ad bona propria, quando ea apprehendunt, & appetunt per modum boni excellentissimi. Et ita se habuit Angelus in primo suo peccato erga beatitudinem naturalem: siquidem ex modo apprehendendi, & appetendi appetijt illam, ac si esset finis absolute ultimus.

105. Pro sententia contraria (omissionis argumentis ex ratione petitis, quia ex supra dictis manent preoccupati) arguitur ex illo Anselmi, qui ait: Diabolum in primo suo peccato id appetivisse, ad quod pervenisset, si stetit; sed non pervenisset ad beatitudinem naturalem, cum illam haberet ante peccatum: ergo illa non fuit obiectum excellens, circa quod Angelus primò superbiat, sed beatitudo supernaturalis.

Respondetur, quod licet Angelus, si stetit, non pervenisset ad suam beatitudinem naturalem præcisè secundum se consideratam, quia eam sic habebat ante suum peccatum; pervenisset tamen ad eam vt inanisibiliter habendum, & vt subordinatam beatitudini supernaturali, quam ante suum peccatum sub hac ratione non possidebat, vt ex se patet. Unde per testimonium Anselmi non tollitur, quod obiectum excellens, erga quod Angelus primò superbiat, fuerit beatitudo sua naturalis.

Paul. Theolog. Salm. Tom. II.

106. Dicendum est ultimo, satis probabile esse Angelum in primo suo peccato superbiisse circa beatitudinem supernaturalem, vt acquirendam viribus naturæ, & sine auxilio gratiæ. Sensus tamen huius assertionis non est, quod Angelus superbiat: præcisè circa beatitudinem supernaturalem, quia ex supra dictis §. præced. satis constat, beatitudinem naturalem fuisse obiectum, circa quod Angelus primò superbiat: Sed sensus est, quod superbiat circa utranque beatitudinem, cum ordine tamen quodam, videlicet, erga beatitudinem naturalem velut circa obiectum primarium, & circa supernaturalem velut circa obiectum secundarium, & complementum beatitudinis naturalis.

Et quod appetijt utranque beatitudinem cum prædicto ordine, in suppositione quod superbiat circa beatitudinem supernaturalem, potest multipliciter suaderi. Primò: nam oportet, quod Angelus, facta prædicta suppositione, concupiscit utranque beatitudinem ordine quodam, ne dicatur, quod appetijt simul duos fines ultimos adæquatos; sed beatitudo naturalis fuit volita in primo peccato deemonis per modum finis omnino ultimi, vt constat ex dictis §. præced. ergo beatitudo supernaturalis volita fuit ab eo per modum complementi beatitudinis naturalis cum subordinatione ad eam. ¶ Secundò: Nam intellectus Angeli nequit simul intelligere plura vt plura, neque eius voluntas potest appetere plura vt plura, propter debitam correspondentiam virtutis potentia: ergo si concupiscit utranque beatitudinem, oportet, quod vnam appetierit per modum ultimi finis, & aliam per modum mediæ, aut per modum complementi alterius: sed Angelus in primo suo peccato deliquit circa beatitudinem naturalem per modum finis ultimi, & beatitudo supernaturalis non potuit esse volita per modum mediæ: siquidem ad consequendam beatitudinem naturalem non erat necessariam, vt ex se liquet: ergo. ¶ Tertio: Nam utraque beatitudo concepta non fuit vno eodemque actu, sed duplici, quia naturalis volita fuit per actum fruitionis, & supernaturalis per actum desiderij; sed actus terminatus ad beatitudinem naturalem est prior, propter dicta §. præced. ergo actus terminatus ad beatitudinem supernaturalem fuit posterior.

107. Neque sensus huius assertionis est, quod primum peccatum Angeli fuerit appetitus expressus & formalis beatitudinis supernaturalis vt acquirendæ viribus naturæ, seu sine auxilio gratiæ: siquidem talis volitio supponeret errorem in intellectu, videlicet, quod posset acquiri

Li 2 absque



absque auxilio gratiæ, qui error est hæresis Pelagij, sed ante primum peccatum Angeli non potuit esse error in intellectu Angelico: ergo. Senfus ergo est, quod Angelus virtualiter, interpretativè & ex parte modi volendi appetierit prædictam beatitudinem, vt habendam sine auxilio gratiæ. Ad quod sufficit, quod Angelus cognoverit certò per fidem, prædictam beatitudinem esse acquisibilem viribus gratiæ, & teneretur in secundo instanti illam hoc modo sollicitare, & quod appetierit illam, non habendo actum, quo voluerit eam ex auxilio gratiæ, deductum ex inconsideratione practica necessitatis prædicti auxilij. Nam hoc modo velle eam, non est velle eam cum errore speculativo, neque est velle eam expressè & formaliter absque viribus gratiæ, sed tantum interpretativè & virtualiter: ad eum modum, quo Angelus in primo suo peccato concupivit ex parte modi volendi virtualiter & interpretativè suam beatitudinem naturalem per modum finis ultimi.

108. Neque contra hoc refert, si dicas, quod si appetitus beatitudinis supernaturalis est actus posterior præsupponens appetitum inordinatum beatitudinis naturalis, nihil erit inconveniens, quod præsupponat errorem formalem in intellectu: siquidem iam præsupponit peccatum. ¶ Non (inquam) refert: Nam licet ex hoc capite non repugnaret, quod appetitum beatitudinis supernaturalis præcederet: aliquis error formalis: erat tamen aliud caput, ex quo repugnabat, scilicet, quod uterque appetitus fuit in eodem instanti, in quo Angelus erat certus per fidem, quod beatitudo supernaturalis erat inacquisibilis viribus solius naturæ.

109. Hinc probatur assertio: Nam satis probabile est, quod beatitudo supernaturalis fuit volita ab Angelo in primo suo peccato: ergo appetitus illius fuit inordinatus; sed inordinatio huiusmodi appetitus haud melius potest explicari, quam modo insinuato duobus numeris præcedentibus: ergo satis probabile est, quod Angelus in primo suo peccato superbiit circa beatitudinem supernaturalem, vt acquirendam sine viribus gratiæ. Cetera patent præter antecedens. Quod sic ostenditur: Tum quia satis probabile est, quod obiectum, erga quod Angelus superbiit, fuit valde excelsum, vt colligitur ex testimonijs Scripturæ & SS. PP. sed beatitudo supernaturalis fuit huiusmodi, vt ex se constaret: ergo satis probabile est, beatitudinem supernaturalem fuisse obiectum (etiam non omnino primum) superbiæ Angelicæ. Tum etiam: nam Angelus in primo instanti per fidem habuit certam cognitionem beatitudinis supernaturalis, eiusque eximiam excellentiæ, eamque super omnia dilexit in eodem instanti: ergo satis credibile est, non fuisse oblitum illius in secundo instanti: ergo fuit volita ab eo in primo suo peccato.

Et confirmatur ex D. Thoma in præf. art. 3: vbi ait: *Vt si appetit vt ultimum finem illam Dei similitudinem, qua datur ex gratia, voluit hoc habere per virtutem suam naturæ, non ex divino auxilio secundum Dei dispositionem. Et hoc consonat dictis Angelum, qui dicit, quod appetit illud, ad quod pervenisset, si stetit. Et hæc duo quodammodo in idem redeunt: quia secundum utrunque appetit finalem beatitudinem per suam virtutem habere; quod est proprium Dei.*

110. Sed dices: Ergo iuxta S. Doctorem Angelus appetit beatitudinem supernaturalem per modum finis absolute ultimi: ergo non appetit eam vt complementum beatitudinis naturalis, proindeque corruit explanatio super à nobis data.

Respondetur, sensum S. Doctoris tantum esse, quod Angelus concupierit beatitudinem supernaturalem vt finem ultimam in esse rei, scilicet vt formaliter & in esse obiecti. Sicut nec sensus est, quod concupierit eam formaliter vt supernaturalem: quia concupierit eam vt acquirendam viribus naturæ; quod est idem ac appetere eam vt quid naturale per modum refutium in obiecto supernaturali, & provenientem ex ipso modo volendi eam modum quo hæreticus assensu naturali assentitur alicui veterati sapientiarum sub motivo naturali.

111. Pro plena tamen huius assertiois intelligentia, & solutione aliquarum obiectio, observatur (vt fecimus §. præcedenti) quod sicut in secundo instanti Angelico instabat & urgebat præceptum charitatis, quo Angelus tenebatur se convertere in ultimum finem supernaturalem ita urgebat præceptum fidei, & spei, quo tenebatur in illum tendere sub auxilio gratiæ: qui præceptum spei tendens ad beatitudinem supernaturalem sub auxilio gratiæ in aliquo instanti debet Angelum obligare, sicut & præceptum charitatis; & nullum aptius potest assignari nisi secundum, quia est primum suæ totalis deliberationis, & ultimum viae. ¶ Deinde observatur, quod sicut præceptum charitatis, precipiendo ordinationem & conversionem in ultimum finem supernaturalem, non solum præcipit pro formali ipsam conversionem, sed etiam pro materiali præfigit menturam servandam in dilectione propriæ excellentiæ, ex quo ortum dicit præceptum humilitatis, ne appetitor propria excellentia, spreta prædicta mensura; ita præceptum spei taliter præcipiebat pro formali actu spei supernaturalis, vt pro materiali præfigere mensuram in sollicitatione beatitudinis supernaturalis sub divino auxilio; & ex hoc ortum dicit aliud præceptum humilitatis negativum de non sollicitanda beatitudine supernaturali extra, aut contra prædictam mensuram. Quod necesse est fieri, vt sic plane explicetur, qualiter appetitus beatitudinis supernaturalis fuerit appetitus

su-

superbiit. Ex his manent diruta & præoccupata nonnulla obiectioes, qua contra hanc assertionem vrgent Adversarij, extra quas non est aliud argumentum alicuius momenti.

### §. Ultimus.

#### Sententia prima conclusioni contraria.

112. Adversus primam & præcipuam conclusionem arguitur primò ex Scriptura: Nam Isaïa 14. dicitur: *Ascendam supra altitudinem nubium, similis ero Altissimo.* Quæ verba, iuxta expositionem PP. de Lucifero intelliguntur. Item Ezechiel 28. ait: *Elevatus est cor tuum. & dixisti: Deus ego sum, & in cathedra Dei sedi.* Et ideo Angelus, qui primus Lucifero restitit, dixit: *Quis sicut Deus?* Et hinc nomen Michæelis adeptus est: ergo Lucifer appetivit omnimodam æqualitatem cum Deo.

Confirmatur ex SS. PP. Nam Nazianz. carmen 6. ait: *Dum Deus esse cupit, terra caligine totus obrutus est.* Hago Victorin. tract. 2. cap. 4. inquit: *Similis esse voluit Altissimo non per imitationem, sed per æqualitatem.* Idem tradunt alij Patres, quos adducit Suarez lib. 6. de Angelis cap. 12.

Ad argumentum simul cum confirmatione responderetur, quod Scriptura, & PP. loquuntur de appetitu æqualitatis divinæ naturæ non per omnimodam & absolutam æqualitatem cum Deo, sed per participationem alicuius perfectionis, quam Angelus poterat, sed non debebat habere; & hic appetitus est de divinitate æquivalenter, virtualiter, & interpretativè. Quod deducitur ex D. Thoma quest. 16. de Malo art. 3. ad 3. & in præf. art. 3.

113. Arguitur secundò: Nam propterea Angelus non appeteret omnimodam æqualitatem cum Deo, quia est impossibilis; sed hæc ratio non obest: ergo appetit omnimodam æqualitatem cum Deo. Minor probatur primò ex Arist. 3. Ethic. cap. 2. vbi ait, quod electio non est impossibilium, voluntas seu simplex complacentia potest esse circa impossibilia: ac si diceret, quod licet voluntas appetita efficaciter, qui dicitur electio, & tendit ad rei consecutionem, non possit tendere in impossibile, bene vero appetit inefficaci: ergo est omnimoda æqualitas cum Deo sit Angelo impossibilis, potuit appeti ab eo. Secundo ex D. Thoma 2. 2. quest. 13. artic. 5. ad 1. vbi inquit: *Voluntas completæ non est nisi de possibili, quod est bonum volenti: sed voluntas incompleta est de impossibili, que secundum quosdam volentes dicitur: quia scilicet aliqui vellet illud, si esset possibile:* ergo. Tertio ex illo actu ferventissimo D. Augustini in Soliloquijs, quo vehementer clamavit amoris in Deum illis verbis explicabat

*Si ego possem esse Deus, mallem te quam me esse Deum.*

Et confirmatur primò nonnullis exemplis: Nam imprimis Iulij sæpe optant diligere Deum amore infinito, si esset possibilis: Deinde: nam multoties experitur nos delectari de obiectis impossibilibus, sub conditione, quod essent possibilis. Rursus: Nam penitens vult suum peccatum præteritum non fuisse ab eo commissum: siquidem obiectum penitentia sunt peccata præterita & commissa; ac proinde penitens de peccatis commissis videtur velle præteritum non præterisse; quod est impossibile. Tandem: nam damnati appetunt Deum non esse: siquidem odio habent eum, & hoc est non minus impossibile, ac Angelum esse Deum.

Confirmatur secundò: Nam intellectus potest cognoscere impossibilia: ergo etiam voluntas potest terminari ad ea per simplicem quandam complacentiam. Antecedens est certum. Et consequentia probatur: nam voluntas gaudet eodem gradu immaterialitatis cum intellectu: ergo si intellectus potest se extendere ad impossibilia, etiam voluntas.

114. Pro solutione huius argumenti: Nota, duplex esse impossibile, aliud quod est absolute & simpliciter tale; alterum quod est tale tantum per accidens & ex suppositione. Impossibile primi generis est illud, quod ex ipsis terminis & nulla facta suppositione est impossibile, vt hominem esse Angelum, Angelum esse Deum: Impossibile secundi generis est illud, quod ex ipsis terminis non repugnat, sed tantum facta aliqua suppositione, vt hominem non peccasse, qui peccavit. Inter que hoc est discrimen, quod impossibilia primi generis non possunt appeti ab eo, qui cognoscit ea esse impossibilia, neque circa ea potest esse affectus meritorius, aut demeritorius. Impossibilia tamen secundi generis possunt appeti ab eo, qui cognoscit ea esse impossibilia, non proat stant sub prædicta suppositione, sed in sensu diviso & præcisive ab ea, qua in sensu composito illius suppositionis nihil habent bonitatis, & præcisive à suppositione induunt rationem bonitatis, sicut & possibilitatis.

Ulterius nota, quod impossibile per accidens non potest terminare actum electionis, quanvis terminare possit affectum simplicis complacentia. Ratio primi est: quia electio tendit ad executionem rei cum omnibus circumstantijs, quas habet hic & nunc in particulari; & cum suppositio illi adiuncta reddat rem impossibilem, hinc est, quod voluntas nequit terminari ad illam actu electionis, seu affectu efficaci. Ratio autem secundi est: quia simplex voluntas, cum non tendat ad executionem, potest terminari ad obiectum secundum se præcisingendo à particularibus circumstantijs: & in hac sensu docuimus tract. 4. disp. 3. dub. 1. &

3. in



3. in Deo existere plura decreta absoluta ex parte actus, & conditionata ex parte obiecti erga omnes combinationes possibili conditionatas, non obstanti quod sint impossibiles per accidens, & facta aliqua suppositione.

115 Ex his ad argumentum respondetur, distinguendo mai. *quia est impossibilis absolute* & simpliciter, concedo mai. *quia est impossibilis utcumque*, nego mai. Et negando mai. Ad cuius primam probationem dicendum est, Aristotelem in eo testimonio tantum loqui de impossibili per accidens. Quod colligitur ex eo, quia adducit exemplam impossibilis per accidens, videlicet, immortalitatis hominis; quae non est illi absolute impossibilis, sed solum in ordine ad causas naturales, & pro statu huius vitae. Videatur D. Thomas lect. 5. ubi ita exponit Philosophum. Per quod constat ad secundam probationem desumptam ex testimonio Angelici Praecepti. Siquidem sermo solum est in eo de impossibili per accidens. Quod etiam colligitur ex eo, quia statim addit testimonium relatum Aristotelem. Et si aliquando D. Thomas loquitur de impossibili absolute, tunc non concedit voluntatem actu existentem & terminatam ad illud; sed tantum quandam vellicitatem conditionatam, conditione se tenente tam ex parte obiecti, quam ex parte actus. Huiusmodi est testimonium deductum ex quest. 16. de Malo art. 5. ad 9. ubi ait: *Voluntas, quae est impossibilis, non est perfecta voluntas tendens in aliquid consequendum quia nullus tendit in id, quod existimat impossibile, sed est quadam imperfecta voluntas, quae dicitur vellicata: quia scilicet aliquis vellet id, quod existimat impossibile, sed sub hac conditione, si possibile esset.* Ubi meditandum est ab eis verbis: *Quae dicitur vellicata, quia scilicet aliquis vellet &c.* In quibus denotat aperte, se non loqui de voluntate, quae revera & formaliter est; sed de vellicata, quae non est formaliter, sed esset, si illius obiectum esset possibile.

Ad tertiam probationem respondetur, illum affectum D. Augustini fuisse conditionatum, conditione se tenente tam ex parte obiecti, quam ex parte actus, & non formaliter existentem. Cum quo recte cohaeret, quod haberet tunc defecto aliquam inclinationem, dispositionem, seu actum, qui esset talis virtualiter & interpretative, hoc est, qui praestaret fundamentum ad hoc, ut iudicemus prudenter, non quidem velle illud impossibile, sed volitum illud, sub conditione quod esset possibile, praedictaque conditio purificaretur. Ideoque cum Augustinus prudenter iudicaverit se habere de presenti illam dispositionem, quae sit fundamentum ad credendum se proruptum in praedictum actum; si illud obiectum esset possibile, potuit optime loquens cum Deo dicere: *Si ego possem esse Deus &c.*

116 Ad primam confirmationem ex pluribus exemplis compactam: Respondetur, nullum ex illis convincere intentionem Adversariorum. *Non primum*: Vel quia multo existimant, actum amoris infinite intantum esse possibilem creaturae, ideoque iusti hoc praedictum iudicio ducti possunt conari in illum. Vel quia praedictus actus, licet sit absolute impossibilis, iusti possunt ita disponi, ut merito indicent, quod si talis actus esset possibilis, illum elicere, sicut de Augustino dictum est. *Neque secundum*: Nani affectus ille, quem in nobis experimur de rebus impossibilibus, sub conditione quod essent possibiles, revera non est praesens de ipsis rebus impossibilibus, sed de ipsa cognitione huiusmodi obiecti conditionati, quae est obiectum possibile. Vel si est de rebus ipsis impossibilibus, non est a voluntate elicitus, sed ab appetitu sensitivo. ¶ Pro quo nota, quod dum quis per intellectum apprehendit rem aliquam impossibilem sibi convenientem, sub conditione quod esset possibilis, tunc cogitativa apprehendit illud obiectum adintra alienum possibilem & convenientem: & hac ratione potest movere per talem apprehensionem appetitem sensitivum ad elicendum aliquem actum circa tale obiectum, quia ad movendum hunc appetitum sufficit simplex apprehensio. Voluntas vero, cum non moveatur nisi ex praesupposito iudicio de convenientia obiecti, non potest habere aliquem appetitum circa impossibile iudicatum ut tale, etiam si proponatur sub conditione, quod esset possibile.

117 *Neque tertium*: Nam poenitentis, si absque errore procedat, non vult peccatum suum non fuisse praeteritum; alius velle componere esse praeteritum & non esse praeteritum, quod est non minus impossibile, ac Angelum esse Deum, sed tantum vult non esse peccati secundum se. Pro quo sciendum est, quod ad actum poenitentiae duae cognitiones praecedunt: alia, per quam cognoscitur peccatum commissum cum circumstantia praeteritionis: altera vero, per quam praedictatur a praedicta circumstantia, & a ceteris alijs hic & nunc occurrentibus. Ex his ergo cognitionibus quamvis prior praecedat, aut concomitetur actum poenitentiae, posterior tamen est vicie regulativa illius: & cum praedicta cognitio tantum proponat non esse peccati & subiectum illius praesupposita, & in illis reperitur quadam possibilitas & convenientia, potest optime excitare affectum inefficacem poenitentis quia ex hoc inferatur, voluntatem terminari ad impossibile ut impossibile.

118 *Nec ultimum*: Nam cum damnati habeant cognitionem comprehensivam sui, quae cognoscunt se esse entia per participationem, & dependentia ab ente per essentiam omnino indefectibili, non appetunt, Deum absolute non esse,

esse, sed tantum appetant, non esse actus iustos Dei ratione poenae ab eis inflictae: hos autem actus non esse non est impossibile per se, sed per accidens. Si sermo fuerit de hominibus perverissimis, qui sunt in via, nullum est in convenientes concedere, quod odio habent Deum absolute, sed hoc omnium procedit ex errore, quo ob cecitatem ex peccato proventem iudicant obiectum illud esse possibile; vel proponunt illud sibi ut convenientes, non considerata impossibilitate illius.

Vel potest responderi, quod damnati appetunt Deum non esse, non perse, sed per accidens & ratione alterius, scilicet, quatenus volunt a miseris liberari; quod esse nequit, nisi Deo non existente. Omnimoda autem aequalitas cum Deo, si appeteretur ad Angelo, appeteretur perse, quia appeti ratione alterius est appeti tanquam medium alterius, & hoc sine errore stare non potest. Et dato quod huiusmodi aequalitas appeteretur ratione alterius, tunc primum peccatum non consisteret in appetitu huiusmodi aequalitatis, sed in volitione illius, ratione cuius appeteretur.

119 Ad secundam confirmationem respondetur, concedendo antecedens; & negando consequentiam. Et ratio discriminis est: quia intellectus terminatur ad res, prout trahuntur ad ipsum per species, seu prout per species representantur. Species autem intellectus non solum representant perse seu primario possibilia, sed etiam representant impossibilia secundario & per species possibilium, ut alibi diximus: ideoque Deus cognoscit omnia impossibilia. Voluntas vero fertur ad res, prout sunt in seipsis: vnde si in se non sunt bonae (quia non sunt possibiles) nequit ad eas terminari adhuc per affectum inefficacem, nisi ab intellectu proponerentur cum errore ut possibiles, & bonae. Neque ob hoc definit voluntas esse equalis immateria itatis cum intellectu: quia ad hoc sufficit, quod voluntas terminetur ad impossibilia per volitionem actum praesupponentem volitionem terminatam ad possibilia, & ratione illius.

## DUBIUM VII.

Utrum ad primum Angeli peccatum precesserit aliquis defectus in eius intellectu.

120 Quatuor sunt defectus, qui in intellectu Angelico, & humano excogitari possunt. Primus dicitur *nescientia*, quae dicitur carentiam illius scientiae, quam aliquis nec debet, nec natus est habere; & cum haec tantum sit negatio, non habet rationem mali, sive culpe, sive poenae: habetque locum etiam in Angelis, quia nulla creatura, quantumvis superioris cognitionis,

potest omnia possibilia cognoscere. Secundum est *ignorantia*, quae dicit carentiam illius scientiae, quam quis aptus natus est habere; & haec importat rationem mali, vel culpe, vel poenae. Tertius est *positivus error*, qui tunc adest, quando aliquis non solum ignorat aliquam veritatem, sed etiam habet erroneum iudicium, quo credit oppositum. Quartus est *inconsideratio*, quae importat carentiam actualis cognitionis. Quae subdividitur in negativam, & privatam: illa dicit carentiam cognitionis, quam quis non tenetur habere: illa vero carentiam cognitionis, quam habere tenetur. Quibus suppositis: Inquirimus, an aliquis ex praedictis defectibus precesserit in Angelorum intellectu ante eorum primum peccatum; & quis sit? ¶ Et quia haec quaestio resolvitur non valet, nisi praecedat resolutio alterius difficultatis, Angelis & hominibus communis, videlicet, an voluntas possit peccare, nullo defectu morali praecedente in intellectu, quae difficultas aptissima est ad plures & perdifficiles difficultates Theologicas enodandas, operae pretium duximus, circa hanc nostram mentem aperire, ut facilius ad quaestionem in titulo propositam gradum faciamus. Circa quas difficultates quatuor reperio opiniones. Prima asserit, non esse necessarium, quod dum voluntas peccat, praecedat aliquis defectus moralis in intellectu: additque nullum defectum defectum praesens in intellectu Angeli ante primum eius peccatum. Ita Scotus 2. dist. 6. quest. 1. quem sequuntur omnes eius discipuli, & plures ex Societate. ¶ Secunda defendit cum Scoto, non esse necessarium ad peccandum aliquem defectum ex parte intellectus; defectum tamen Angelos peccasse ex aliqua inadvertentia sui inconsideratione. Ita Suarez lib. 7. de Angelis cap. 4. & seq. Arriaga disp. 23. & alij ex Societate. ¶ Tertia ait, posse dari in intellectu Angeli ante eius primum peccatum aliquem errorem. Pro qua refertur Argandius in 2. dist. 5. quest. 1. art. 2. ¶ Quarta & ultima docet, voluntatem non posse peccando deficere, nisi in intellectu praecedat aliquis ex praedictis defectibus; & ex consequenti docet, ante primum peccatum Angeli precessisse dictamen praedictum inconsideratione. Ita communiter discipuli D. Thomae tam in praes. quam in 1. 2. quest. 77. artic. 2. & cum eis N. Sala. in hoc tract. disp. 10. dub. 8. Pro qua sit.

## §. I.

### Prima assertio.

121 Dicendum est primum, non posse voluntatem hominis, aut Angeli peccando deficere, nisi praecedat aliquis defectus moralis in eorum intellectu. Haec assertio est proculdubio D. Thomae quest. 16. de



*Mal. art. 2. ad 4. vbi ait: Semper autem in peccato defectus intellectus vel rationis, & voluntatis proportionabiliter se concomitantur. Idem docet loco nuper relato ex 1. 2. vbi hæc habet verba: Cum voluntas sit boni, vel appetitis boni, nunquam voluntas in malum movetur, nisi id, quod non est bonum, aliquo modo rationi bonum appareat, & propter hoc voluntas nunquam in malum tenderet, nisi cum aliqua ignorantia, vel errore rationis. Vnde dicitur Proverb. 14. Errant, qui operantur malum.*

Probat ratione fundamentali deducta ex prædictis testimonijs: Nam voluntas in omnibus sequitur ductum intellectus: ergo nequit esse defectus ex parte voluntatis, quin præcedat aliquis defectus moralis ex parte intellectus. Antecedens est certum: quia voluntas est potentia cæca, ideoque indiget in omnibus ductu intellectus. Consequentia verò probatur: nam eo ipso quod voluntas sequatur in omnibus ductum intellectus, oportet, quod ad quemlibet actum voluntatis præcedat ex parte intellectus iudicium prædicum dictans absolute, esse convenientis hic & nunc, omnibus inspectis, elicere hanc volitionem potius, quam non elicere eam, & quam elicere oppositam; sed eo ipso si operatio voluntatis est defectuosa, nequit non iudicium prædicum dictans illam esse defectuosam: ergo si voluntas in omnibus sequitur ductum intellectus, nequit esse defectus ex parte voluntatis, quin præcedat proportionalis defectus ex parte intellectus. Minor probatur: nam iudicium prædicum dictans esse convenientis hic & nunc elicere volitionem malam, nequit non esse defectuosum: ergo debet præcedere iudicium dictans hic & nunc esse elicendam hanc volitionem præ aliam; & si volitio hæc est defectuosa, nequit non iudicium esse defectuosum.

121 Respondent Adversarij, quod vt voluntas sequatur in omnibus ductum intellectus, sufficit, quod nullum obiectum ampicatur, quin proponatur ab intellectu; non verò requiritur, quod eligat bonum illud, quod efficacius & vt malus bonum proponitur; sed fiat optime, quod postulat maius bonum & efficacius propositum, & eligat minus bonum, & minus efficaciter propositum. Neque huius querenda est alia ratio, nisi quia ita illi placet, & vt vulgo dicitur, *Sit pro ratione voluntas*. Quod necessario fatendum est ad salvandam indemnem eius innatam libertatem. Ex quo sequitur, optime stare, quod intellectus proponat bonum honestum efficacius & vt malus bonum, quam bonum delectabile; & quod voluntas sequatur bonum delectabile postposito bono honesto; ac proinde quod detur deformitas ex parte voluntatis, quin præcedat aliquis defectus moralis ex parte intellectus.

Ut hæc evasio, quæ conijcet genuinum

doctrinam Adversariorum, penitus corruat. Adverte primò ex doctrina N. Salm. tract. 10: disp. 2. à num. 15. quod sicut obiectum voluntatis est bonum, non vtcumque, sed vt propositum ab intellectu, ita nequit velle, nisi id quod intellectus ei representat, & secundum eam tantum rationem, quæ representat: & sicut voluntas ferretur extra suum obiectum, si amaret bonum nullo propositum ab intellectu; ita exiret extra limites sui obiecti adæquati, si eligeret minus bonum & inefficacius propositum ab intellectu in conspectu alterius boni maioris, & efficacius propositi. Et ratio est evidens: Nam minus bonum in conspectu maioris boni ei oppositi habet rationem mali. Vnde sicut voluntas nequit tendere nisi in bonum, vt bonum est, nec potest non odio refugere malum, vt malum est, quod percipitur ab intellectu, & non ab ipsa voluntate, ita nequit tendere in bonum minus & inefficacius propositum in conspectu maioris boni & efficacius propositi; alias prosequeretur malum sub ratione mali, & refugeret bonum sub ratione boni; quod est ferri extra suum obiectum specificativum.

Adverte secundò, quod dum voluntas vult, seu eligit aliquod obiectum, reflectitur saltem virtualiter supra suam actum, volendo illum & omnem eius modum: quia quoties vult aliquid obiectum, etiam vult se velle illud. Ideoque non solum debet ei proponi vt bonum obiectum, quod vult, sed etiam hoc quod est velle hic & nunc cum omnibus, quibus obiectum prædictum velle.

122 Adverte tertio cum assiduo Doctissim. PP. ibidem tract. 10. quod licet libertas sit primò formaliter in voluntate, radix verò illius est intellectus: vt docet expressè D. Thomas 1. 2. quest. 17. artic. 1. ad 2. his verbis: *Radix libertatis est voluntas sicut subiectum; sed sicut causa est ratio: ex hoc enim voluntas potest ad diversa ferri, quia ratio potest habere diversas conceptiones boni. Et ideo Philosophi differunt liberum arbitrium, quod est liberum de ratione iudicium, quasi ratio sit causa libertatis. Intellectus verò est origo libertatis ratione iudicij indifferentis ostendentis viam ad vtrumlibet. Quod satis perspicue explicuit D. Thomas in hac 1. part. quest. 83. artic. 1. vbi ait: Considerandum est, quod quedam agunt absque iudicio, sicut lapis movetur deorsum. Quedam autem agunt iudicio, sed non libero, vt animalia bruta: iudicat enim ovis videns lupum; cum esse fugiendum naturali iudicio, & non libero: quia non ex collatione, sed ex naturali instinctu hoc iudicat. Sed homo agit iudicio, quia per vim cognoscitivam iudicat aliquid esse fugiendum, vel prosequendum. Sed quia iudicium istud non est ex naturali instinctu in particulari operabili, sed ex collatione quadam rationis; ideo agit libero iudi-*

iudicio potens in diversa ferri. Quæ vltima verba notanda sunt propter doctrinam Adversariorum, qui aiunt sufficere simplicem apprehensionem alicuius obiecti, vt voluntas illud libere profequatur, & non requiri iudicium collativum & compositionem faciendi.

124 Adverte quarto, quod sicut voluntas, dum libere operatur, aliter se habet vt considerata ex parte actus primi, & aliter vt considerata ex parte actus secundi: nam ex parte actus primi solum consideratur cum posse ad vtrumlibet extremum contradictionis; & ex parte actus secundi est iam cum actuali applicatione ad vnum extremum præ alio: Ita ad hoc vt libere operetur, duplex iudicium ex parte intellectus necessarium est: aliud proponens cum indifferentia duo extrema contradictionis; & hoc se tenet ex parte actus primi: alterum determinans efficaciter, quod exercitium eligendum est: A quo tam longe abest, quod adimat libertatem, & sit incompatible cum iudicio indifferenti, quod voluntas non operaretur libere, quin iudicium vtrumque intercedat. Hoc enim exigit tam sympathia & proportio reperta inter intellectum & voluntatem tam summa dependentia voluntatis ab intellectu; quæ, vt potè potentia cæca, petit determinari ab intellectu ad eligendum vnum ex extremis contradictionis præponderante illud esse hic & nunc convenientis, & non oppositum. Quibus prænotatis.

Refellitur efficaciter evasio Adversariorum: Nam ante omnem operationem defectuosam voluntatis debet præcedere ex parte intellectus dictamen seu iudicium prædicum dictans esse convenientis hic & nunc eam elicere; sed iudicium dictans esse convenientis hic & nunc elicere volitionem pravam, nequit non esse defectuosum: ergo nequit dari aliquis defectus ex parte voluntatis, quin præsupponatur ex parte intellectus. Maior, in qua tantum potest esse difficultas, satis liquet ex prædictis prænotabilibus.

125 Sed contra nostram doctrinam, & conclusionem obijciunt Adversarij primò: Nam plures sunt ex viatoribus, qui peccant ex sola malitia voluntatis, existente recto iudicio & plena advertentia ex parte intellectus: ergo ad omnem defectum voluntatis non semper debet præcedere aliquis defectus ex parte intellectus. Videturque hoc esse stabilitum in articulis Parisiensibus, vbi dicitur, quod, *intellectu existente in apice rationis, potest voluntas in oppositum*. Obijciunt secundò plures replicas, quæ videntur oppugnare libertatem voluntatis, si hæc omnia determinetur ad vnum extremum contradictionis iudicio pratico intellectus.

Ad primam obijctionem responderetur, quod hi, qui peccant ex certa malitia & industria, simul cum iudicio speculativo dictante id esse contra divinam legem, habent in particulari iudicio

Paul. Theolog. Salm. Tom. II.

diciam erroneam, aut inconsideratam dictans prædicum esse convenientis illis hic & nunc ita operari, in quo iudicio non curatur de divina lege. Et quamvis sic peccantes speculative illius recordentur, quia verò efficacius & attentius considerant delectabilitatem obiecti, quod diliguntur rapiantur ab hac delectabilitate contra divinam legem. Nec ob hoc peccatum ex malitia non dicitur fingitur à peccato ex ignorantia: nam, vt optime docet D. Thomas 1. 2. quest. 78. art. 1. ad 1. *Ignorantia quandoque excludit scientiam, qua aliquis simpliciter scit hoc esse malum, quod agitur: & tunc dicitur ex ignorantia peccare*. Sub quo peccato ex ignorantia continetur primum peccatum tam hominis, quam Angelis: quia uterque peccavit ex inconsideratione & inadvertentia alicuius, quod uterque debuit attendere. Propter quod D. Thomas ad Annibal. in 2. dist. 43. quest. 1. art. 4. docet, peccatum vtriusque fuisse in filium: *Quia non consideraverunt, que consideranda erant ad evitacionem peccati*. In quibus satis denotatur, peccatum illorum non fuisse ex malitia, quod est contra Spiritum sanctum. Et ratio est aperta: quia ad peccatum ex certa malitia requiritur, vt peccans scienter & ex industria malum eligat, vt expressè docet D. Thomas loco nuper relato: ex 1. 2. in corp. art. in fine; sed uterque non elegit in suo primo peccato aliquid malum, alias præcessisset aliquis error formalis: ergo peccatum primum vtriusque non fuit ex malitia. Et si Patres quandoque asserunt, quod Angelus non fuit admittens ad poenitentiam, quia peccavit ex malitia; bene tamen homo, quia peccavit ex infirmitate; intelligendi sunt, ita quod licet peccatum vtriusque ortum duxerit ex inconsideratione; inconsideratio tamen hominis fundata est in infirmitate carnis, secus verò peccatum Angelis; & hac ratione peccatum istius fundebatur quodammodo in malitia comparative ad peccatum hominis, & ob eandem rationem iste quodammodo fuit dignior venia, quam Angelus.

Quandoque autem (prosequitur D. Thomas loco supra relato ex 1. 2. ad 1.) *excludit scientiam, qua aliquis scit hoc malum non sustinendum esse propter consecutionem illius boni; scit tamen simpliciter hoc esse malum, & sic dicitur ignorare, quod ex certa malitia peccat*. In quibus verbis aperte denotatur discrimen inter peccatum ex ignorantia, & malitia: nam peccatum ex ignorantia datur, quando voluntas inducitur ad eligendum malum, ex eo quod ignorat, aut non advertit esse malum (quod si adverteret, non eligeret) vel ad eligendum bonum sine debitis circumstantijs, non considerando illas. Peccatum verò ex malitia est, quando voluntas ex seipsa & ex propria sui ordinatione eligit malum, quod scit esse malum, nulla præcedente passivitate. Præcedit tamen ignorantia aut

Mm

in.